

quæ ad illius formam et ministerium pertinent, attente, distincte, et pie, atque clara voce pronuntiet. Similiter et alias orationes et preces devote ac religiose dicet; nec memoriæ, quæ plerumque labitur, facile confidet; sed omnia recitabit ex libro. Reliquas præterea cæremonias ac ritus ita decenter gravique actione peraget, ut adstantes ad cœlestium rerum cogitationem erigat et attentos reddat. »

1. De Baptismo.

50. Cum *baptismus* sit primum sacramentorum, eorumque veluti janua et medium salutis necessarium, invigilent, quod ad eos attinet, pastores animarum, ut quamprimum fieri poterit conferatur; instruant ergo, quod ad fideles spectat, populum sibi commissum de hujus sacramenti necessitate, de ritu illud in mortis discrimine infantibus vel aliis conferendi, de obligatione procurandi per baptismum filiorum salutem, deque materia et forma legitimis hujus sacramenti. Cum adulti eos conveniunt, ut baptismum suscipiant, meminerint sacerdotes nullos esse admittendos, nisi prius plene de fide et de agendis in christiana religione instructi fuerint, atque suis ex corde erroribus renuncient, sinceramque catholicæ fidei amplectendæ voluntatem manifestent. In

genere curent ea quæ in Rituali Romano de patrinis et nomine baptizando imponendo præscribuntur, diligenter servare. Denique patrilinos de obligatione doceant, quæ oboriri posset, efficiendi, ut pueri vel per se vel per alios, tum de fidei veritatibus et præceptis, tum de promissis in baptismo præstitis, instruantur.

2. De Eucharistia.

51. *Eucharistia* sacramentum sanctissimum atque omnium nobilissimum, quod vitæ et gratiæ auctorem continet et fidelibus dat, sancte et reverenter tractandum est, ne populus illud leviter a sacerdote confici conspiciens, fidem, quam de eo tam enixe commendamus, vanam esse arbitretur. Accedat igitur sacerdos graviter et modeste ad altare, ubi venerabile asservatur sacramentum et juxta rubricas et Ecclesiæ sensum genuflectens adoret, fidei actum eliciat, servet ritus omnes in Rituali Romano præscriptos, recitandas orationes, tum ante tum post sacramenti hujus distributionem, non celeriter sed lente et devote pronuntiet, caveat præsertim ne crucis signum, sanctam hostiam inter digitos tenens, celeriter et extra ciborium perficiat.

52. Si animarum pastor sit, sciat non modo suum esse fideles de hujus sacramenti di-

gnitate docere ac persæpe monere, ut seipsum serio probent antequam accedant ad eucharisticam mensam; sed etiam instruere de externa corporis ratione qua sanctam synaxim recipere convenienter debent. Admoneat de oris aperature, de lingua non nihil ad labia exterius protendenda, de corporis habitu et vestium modestia. Præterea in mentem sibi revocet nonnisi publice indignis, ex sacris canonibus, sanctam eucharistiam denegandam esse, ut sunt manifeste excommunicati, interdicti, infames, concubinarij, meretrices, civiliter tantum nupti, usurarii etc., nisi constet eos publice scandalum reparasse, atque in Ecclesiæ communionem rediisse. Occultos tamen peccatores si *occulte* petant et non eos emendatos agnoverit, etiam presbyter repellat; nisi tamen, ut par est, ex simplici confessionis notitia crimen noverit; sin vero *publice* petant et sine scandalo eos præterire nequeat, non repellat. Denique amentibus seu phreneticis sanctam eucharistiam ministrare non licet, nisi quando lucida habeant intervalla, et dum in eo statu manent, devotionem ostendant.

53. Quod si ad infirmos sancta eucharistia sit deferenda, Pastoris est ut id tempestive fiat atque opportuno tempore, ne forte morientes hoc tanto bono privari contingat, et qui longa ægritudine laborant, hoc tam

efficaci ad illam ferendam medio destitui. Hortetur igitur omnes sacerdos, ut sacram synaxim etiamsi gravissime non ægrotent, sponte petant et post peractam confessionem sumant, maxime si festiva aliqua celebritas id suadeat; viaticum autem ministrabit cum probabile mortis periculum adesse constiterit.

Cum vero per urbis vias aut per agros Ss. Eucharistiæ sacramentum defertur, pro locorum atque temporum consuetudine et opportunitate, nonnisi cum aliqua solemnitate et honore deferatur, juxta ea quæ in Rituali Romano præscribuntur. In itinere preces a sacerdote et ab iis qui comitantur recitari convenit, tum ad Dei clementiam exorandam, tum ad reverentiam in populo conciliandam. Cum ad infirmi lectum et cubiculum perventum est, sacerdos eum paucis hortetur, ut digne se disponat ad tantum sacramentum recipiendum, et ut patienter infirmitatem ferat vel etiam mortem, si ita divina voluntas de eo decreverit. Nec abscedat antequam infirmo atque adstantibus more solito benedicat.

3. De Extrema Unctione.

54. *Extrema Unctio*, quæ oleum infirmorum vel sacramentum exeuntium etiam dicitur, facienda nunquam est nisi christia-

nus morbo laboret ac tam periculose decumbat, ut in exitu vitæ constitutus videatur, vel etiam senio conficiatur, quod morbo simile habetur. Non igitur conferenda iis qui capite plectuntur, nec militibus prælium commissuris, nec iis qui periculosam corporis amputationem subire debent, nisi in eo sint ut, amputatione facta, moriantur; nec in genere iis qui integris sensibus et firma valetudine, in probabili etiam mortis discrimine versantur.

55. Et quoniam sacramentum hujusmodi non modo ad gratiam conferendam, verum etiam ad corporis sanitatem reddendam destinatur, necnon ad vim addendam, qua infirmus ægritudinis dolores et angores patienter ferat; evidentissimum est, si fieri potest, conferri oportere cum ægri adhuc integra mente et ratione vigent, nec attendendum quoad usque sensibus destituantur (1).

56. Ubi vero rerum conditio id sinat, peccatorum confessio et sacrum viaticum essent præmittenda juxta Ecclesiæ morem. Cæterum cum quis sensibus destituitur, nisi publice impænitens sit vel excommunicatus nunquam hoc sacramentali beneficio privandus est. Quoniam imo in agone morti proximo,

(1) Gravissimi peccant, qui illud tempus ægroti unguendi observare solent, cum jam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat. Cat. Conc. Trid. de Extr. Unct., c. 18.

si presbyter prævideat tempus satis non fore ut omnes sensus inungantur, meminerit a generali unctione in fronte facienda incipiendum esse, aliasque pro temporis opportunitate adjungendas.

4. De Pœnitentiæ sacramento.

57. Pœnitentiæ sacramentum in eorum salutem a Christo Domino institutum, qui post susceptum baptisma lapsi sunt, eo diligentius a sacerdotibus administrandum est, quo difficilius in se est, ad mores perficiendos utilissimum, ejusque usus frequentior.

Imprimis duæ sacerdoti necessariæ sunt dotes ad illud recte perficiendum, scilicet *scientia et sanctitas*: scientia quidem qua probe et rite administret, sanctitas vero qua digne tractet, nec sibi in perniciem vertat. His *prudencia* addenda, qua lepram a lepra discernere noverit ut suum unicuique malo remedium afferre valeat.

Scientia tamen non ea vulgaris et minima esse debet, qua clericus unius vel duorum annorum curriculo compendiose instruitur: sed ea, quæ totius vitæ studio et experientia acquiritur. Non igitur parvi faciat presbyter iterum atque iterum scientiæ huic morali pene infinitæ vacare, libros vel viros interrogare qui et sapientia et experientia multum valent. Debet enim confes-

sarius quæ gravia, quæ levia sunt dignoscere, quæ remitti possunt et quæ non possunt, vel quibus conditionibus criminum venia dari queat. Præterea ipsius est fideles aliquando docere, eorum dubiis satisfacere, et intricatos culparum nexus resolvere. Quæ quidem vulgari tantum scientia fieri nequeunt.

58. Propterea hæc ad rectam et sanctam hujus sacramenti administrationem sacerdotibus suggerimus, quæ sæpe mente revolvant et opere compleant: sacerdos confessarius 1° sit *promptus* ad confessiones audiendas; 2° *benigne* fideles pœnitentes excipiat cum iisque agat; 3° *patienter* audiat; 4° *prudenter* interroget et instruat; 5° *sua-viter* arguat; 6° *recte et probe* judicet; 7° *timore* concutiat, *spe* erigat, *amore* virtutis accendat. Hæc si egerit benedictionibus plurimis a Deo cumulabitur, ejusque ministerium in animarum salutem utile et efficax erit.

59. 1° *Sit promptus ad confessiones audiendas.* — Ut Christi minister et dispensator mysteriorum Dei, confessarius Christum imitari tenetur, qui « venit ad salvandas oves, quæ perierunt domus Israel, non autem ad justos vocandos sed peccatores ad pœnitentiam. » Meminerit « majus gaudium futurum in cœlo pro uno peccatore pœnitentiam agente, quam pro decem millibus qui pœni-

tentia non indigent. » Eoque major promptitudo hæc esse debet, quo peccator graviora habet crimina declaranda, quo minus dives est et fortunatus, quo magis nostro indiget ministerio, quia ex gravi infirmitate graviter laborat, vel gravibus conscientie angoribus intricatur. Christus Samaritanam ex itinere fatigatus quæsivit, cum pauperibus et peccatoribus facilius quam cum divitibus conversabatur eosque solabatur, et non nisi paralyticum peccatorem in probatica piscina prodigio levavit.

60. 2° *Benigne fideles pœnitentes excipiat, cum iisque agat.* — Confessarius sacerdos pater est, eoque titulo apud fideles audit, Deique Patris vices gerit: hic autem « adeo dilexit nos, ut Filium suum unigenitum daret, » adeo diligit nos, ut præveniat, patienter expectet ut salvemur, ardentissimo amore, magnaque animi bonitate excipiat redeuntes, sicut Pater familias filium suum prodigum recepit. Vides quomodo Christus, qui imago est Patris et figura substantiæ illius cum peccatoribus agat, cum Samaritana, cum Maria Magdalena, cum Matthæo, cum Zachæo, cum Petro pœnitente, cum tot aliis, quorum exempla in evangeliiis extant.

Hæc benignitas maxime cum pueris et adolescentibus servanda, quos Christus speciali dilexit et amplexatus est charitate, nec

non cum cujuscumque generis et conditionis hominibus timidis et verecundis; quamvis majori, ut decet, gravitate cum feminis et puellis agendum: angelus enim est sacerdos in pœnitentiæ tribunali dum simul pater est. Ideoque brevius cum istis se confessarii expédiant, prohibeant quominus de inutilibus et de rebus ad confessionem non pertinentibus colloquantur, ne sinant in genere frequentius quam singulis hebdomadis ad confessionem accedere, nunquam eas cogant eodem confessario uti, quin imo hortentur ut interdum alium consulant, actuque et verbis id sibi placere ostendant cum, ipsis inconsultis, ad alium se conferunt. Hoc autem postremum monitum pro quibuscumque pœnitentibus intelligi volumus, quibus plena confessarii cujuscumque adeundi facultas est relinquenda; quamvis ipsis commendandum, ut unum constanter sacerdotem consulant, quem animæ suæ veluti medicum et doctorem habeant.

61. 3° *Patienter audiat.* — Confessarii munus patientiæ ministerium est, quod hominum infirmitatibus mederi et compati debet, sicut Christus ipse qui infirmitate nostra circumdari voluit ut nobis compateretur et misericors esset. Quid igitur impatientiæ signa vel verba in audiendis confessionibus edamus? Quorsum acerbis, durisque querimoniis humiles et sponte confitentes reos

impetamus? Tenaces ne sunt et sui amatores judicii? patientia, constantia et mansuetudine vincas. In eadem relabuntur? industria et animi firmitate ac precibus ad Deum effusis corrigas. Nolunt ne tuo acquiescere judicio, instant, provocant? taceas, neque silentium rumpas, nisi ipsi tacuerint, paucisque verbis, quæ amaritudinem nullam prodant, eorum defectus retundas; insta opportune importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina, ne si nimis impatiens et asper sis plagam exasperes, morbum aggraves et durissimum reddas jam difficile pœnitentiæ sacramentum, fideles ab omnibus et singulis criminibus patefaciendis deterreas, et erit malum pejus priore.

62. 4° *Prudenter interroget et instruat.*

— Cum confessarius doctor et judex sit, ejus certe est pœnitentes interrogare et instruere, idque sine humano respectu et personarum acceptione. Quin imo pueros, rudes et timidos necessario interrogare et instruere debet, nesciunt enim aliquando quid et quomodo sua peccata fateantur, vel confessarium verentur et interrogari de quibusdam optant, ut facilius referant. At prudentia opus est et modo. Etenim, ne fastidiosa reddatur confessio, pœnitentes emungi non debent, neque de omnibus est inquirendum, maxime ab iis, qui ignorantia invincibili lâ-

borant et timendum sit ne materiale peccatum in formale vertant.

Cavendum sane, ut inquit S. Thomas, «Ne confessarius instruat pœnitentem ad peccandum» vel ne sibi ipsi scandalum pariat, et indiscretis interrogationibus aliis de se suspicionem ingerat. Quare, maxime si de sexto decalogi præcepto agatur, summa cum prudentia est interrogandum, idque decentissimis quibus potest fieri verbis. Consulantur de hac re probati auctores, præcipue S. Ligorius, ut duo extrema confessarii vitent, timendum enim esset ne cum cauti et prudentes esse velint, nimis cauti et prudentes sint contra Ecclesiæ leges et decreta, ac non minimum fidelibus damnum animæ procurent (1).

63. 5° *Suaviter arguat.* — Pastoribus commendat Synodus Tridentina (quod sane de confessariis dici recte potest), «ut se pastores non percussores esse meminerint» erga eos qui ipsis subditi sunt... «Quos tamen, si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli ab eis servanda præcepta; ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia: cum sæpe plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam

(1) Confer S. Lig. Theol. mor. l. 6, n. 607 et Prax. Confess., c. 1, §§ 3, 4, cc. 2, 3. — Gury tom. 2 a n. 614 ad 620 et n. 912, 3° nota (α)

comminatio, plus charitas quam potestas (1).» Ne igitur pœnitentibus fidelibus per agendi durtiem confessarii damnationis causa sint. «Patres, inquit D. Paulus, nolite ad iracundiam provocare filios vestros (2).» S. Franciscus Salesius suavitate magis quam severitate innumeros homines ad pœnitentiam adduxit.

64. 6° *Recte et probe judicet.* — Judicis munus est causam æque perpendere, omnibusque perpensis judicare utrum reus venia dignus vel indignus sit, quaque pœna juxta leges multandus. Nobis sacerdotibus a Christo data est facultas nunc remittendi, nunc retinendi peccata, non igitur semper vel unum vel aliud est nobis agendum, ne vel nimis laxi vel nimis rigidi pro tribunali simus. Calleant vel maxime confessarii doctrinam de peccatorum speciebus, de bene vel male dispositis, de restitutione facienda, de recidivis et de habitudinariis; sciant recte discernere utrum quis in occasione proxima necessaria vel voluntaria sit et quid in his rerum adjunctis agendum; noverint methodum bene quoscumque pœnitentes interrogandi, de qua supra egimus; neque faciles neque nimis difficiles se exhibeant, visis rerum, personarum atque temporum adjunctis, nunquam vero suum ministerium prodant.

(1) Sess. xiii de Reform., cap. 1.

(2) Ad Eph. vi, 4.

Quomodo sane, si hæc minime norint, recte et probe judicare queant? Quod si quis sine peccatorum absolutione sit dimittendus, suaviter hoc fiat, neque ad longum tempus dimittatur ne pejor evadat. Denique judicet recte et prudenter sacerdos de æqua pœnitentia pro culpis injungenda. Pœnitentia alia *salutaris*, alia *medicinalis* esse debet, vel eadem simul salutaris ad expianda peccata, medicinalis ad ea corrigenda. Pro personarum et temporum conditione pœnitentia major vel minor est præscribenda, sed fere nunquam levis pro gravibus peccatis, nunquam gravis pro levibus (1); nunquam publica injungatur, neque talis ut aliis peccati gravitatem prodat, quæ ruborem ingerat, et quæ in hominis facultate non sit ut eam exequatur. Puerorum maxime habenda est ratio, qui, si nimis gravis vel ad longum tempus protrahenda pœnitentia datur, eam certissime negligunt.

65. 7° *Timore concutiat, spe erigat, amore virtutis accendat.* — Hæc Patris et medici sunt munia: confessio enim non ad revelanda dumtaxat peccata et remissionem recipiendam instituta fuit, sed ad ea corrigenda et vitam christianam recte moderandam. Ex confessarii monitis et præceptis hoc intelligere debent pœnitentes maxime rudes, qui putant satis egisse, ubi omnia sincere

(1) V. S. Lig. Prax. Conf., c. 1, § 2, n. 11 et seq.

in confessione fateantur. Intelligant hunc esse confessionis præcipuum finem, mores corrigere et emendare, a peccatis avertere, ad virtutes exercendas animum addere. Quapropter habeat semper præ manibus confessarius motiva ad timorem incutiendum, neque etiam terrestria negligat, quamvis non his tantum insistendum, sed quia ex his quasi a minori ad majus argui facile potest, si deinde supernaturalia proponantur argumenta.

Præterea noverit confessarius spe erigere et fiducia in Deum eos, qui multitudine et gravitate suorum criminum exterriti nullam ipsis fore veniam putant, nec spem habere se corrigendi facile arbitrantur. Laudet sacerdos eorum etiam minimos conatus, alia proponat media ad melius agendum: fit enim non raro ut plures in iisdem criminibus versentur, quia nonnisi rigidos atque asperos confessarios adierunt, qui numquam de modo agendi pœnitentium contenti, eos severe dimittunt.

Denique non ignoret confessarius artem animas dirigendi, easque ad virtutis amorem accendendi, necnon ad perfectionem, quæ unicuique statui ac conditioni propria est. Hæc magni momenti est ars, quia oportet imprimis diversos discernere spiritus, cum non omnes eodem spiritu dirigantur, nec iisdem ducendi regulis; deinde necesse

est ut pedetentim per apta mella, juxta suam indolem, suasque vires unusquisque ducatur, cum putandum non sit perfectionem uno ictu, unoque impetu acquiri posse.

66. Ut finem huic argumento imponamus, monendi sunt confessarii ne facile generales provocent confessiones, nec præteritas iterare permittant. Oportet enim advertere, inquit S. Liguorius, quod, licet confessiones generales sint utilissimæ, nihilominus non debeat confessarius esse valde rigorosus ad efficiendum, ut confessiones jam factæ repetantur. Unde ait P. Segneri, non esse obligationem repetendi confessiones, *nisi in casu manifestæ necessitatis, et in quo error sit evidens* (1). » Hoc tamen non impedit quominus singulis annis, ad devotionem augendam, per summa capita totius anni confessiones repetantur.

5. De Matrimonio.

67. Quamvis sacramenti matrimonii sacerdos minister non sit, sunt ipsi tamen plura et gravia officia quibus fungi tenetur, ut rite ac sancte illud a contrahentibus suscipiatur. Quis enim nesciat ex suscepti matrimonii legitimitate et sanctitate proles legitimitatem, familiæ ordinem, conscientiam

(1) Prax. Conf. c. 1, § 4 in fine.

pacem, concordiam conjugum, et sanctam proles educationem pendere? Inde Christi fidelium corpus apte conflatum et gratia vivificatum, crescit in virum perfectum et in plenitudinem ætatis Christi Jesu.

Juxta Concilii Tridentini decreta (1) nemo nisi Parochus, qui animarum curam legitimam habet, vel ab eo delegatus sacerdos, aut qui ab Episcopo ordinario facultatem obtinet, matrimonii susceptioni ut testis interesse potest eique benedicere; sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda.

68. Antequam matrimonium ineatur: 1^o Cognoscat, utcumque potest, sacerdos, nullum esse impedimentum sive dirimens, sive impediens, quod ex Ecclesiæ lege hujus sacramenti susceptioni opponatur; quapropter sponsose separatos et arte quadam interroget; nec audeat a tribus proclamationibus publicis, inconsulto Episcopo, aliquem dispensare. Maxime cum peregrini et vagi ipsum ad matrimonium ineundum adeunt, majori cura et diligentia certior fiat, an non aliquid sit quod Ecclesiæ lege inhibetur.

2^o Videat ne aliquos matrimonio conjugat nisi ex parentum consensu, ubi õpus fuerit, et nisi qui nupturi sunt civilium legum præscriptionibus satisfecerint, juxta ea quæ Statuta diœcesana de hac re mandant ut fiat; adeo ut, ubi tempus et rerum

(1) Sess. xxiv de Reform., c. 1.

conditio permittit, nihil contrarii, nisi Episcopo consulto agat.

3° Instruat sponso de eorum officiis et inquirat utrum in rebus religiosis instructi sint; utrum confirmationis sacramentum receperint, horteturque ad pœnitentiæ et eucharistiæ sacramenta suscipienda, saltem juxta Concilium Tridentinum, intra tres dies ante matrimonii consummationem.

69. Quod si matrimonio mixto sacerdos assistere debeat, ex sanctæ Sedis venia in eundo, caveat ne illud admittat nisi prius pars acatholica sequentia promittat:

a) Nunquam vel nullo modo futurum, ut pars catholica a se in libero suæ religionis exercitio impediatur.

b) A se curatum iri, ut omnes utriusque sexus liberi in Ecclesia catholica baptizentur, edoceantur, et in catholica schola instruantur.

c) Se penitus renuntiare quominus matrimonii celebratio vel ante vel post coram ministro acatholico fiat.

Pars autem catholica promittere debet:

a) Omnibus adhibitis mediis se curaturam ut pars acatholica ad veram fidem convertatur;

b) Facturam se ut omnes utriusque sexus liberi in catholica religione probe educentur;

c) Matrimonii celebrationem unice in Ecclesia catholica permissuram.

70. In genere curet sacerdos ea cognoscere quæ in Rituali Romano, ex sacris Concilii Tridentini Decretis præscribuntur, et quæ ex Pontificiis decretis, atque ex Theologorum et sacrarum Congregationum responsis ad rectam hujus sacramenti administrationem colliguntur. In dubiis vero non renuat, opportuno tempore, ordinarium Episcopum interrogare.

§ VII.

De decore et nitore Domus Dei.

71. Ut finem huic articulo de officiis erga Deum imponamus, aliqua brevibus de decore et nitore templorum, quæ sacerdotibus committuntur, innuere liceat. In mentem revocentur quæ et quanta in Scripturis sanctis Deus jusserit, ut arca veteris fœderis, sive in tabernaculo, sive postea in templo, maxima cum reverentia et honore custodiretur; quanta cum solemnitate, quantoque cum decore dies festos et sacrificia agere oportebat; qui nitor in vasis sacris et in omni suppellectili ad sacrificia necessaria, a sacerdotibus huic officio addictis erat servandus. Attamen hæc in figuris contingebant illis; arca veteris fœderis non nisi figuras arcæ novi fœderis continebat. Jam in nostris templis non umbram,

sed rem ipsam habemus: hinc Christus realiter ac substantialiter inhabitat, quasi expiationis victima sub panis speciebus: « millia millium ministrant ei, et decies millies centena millia assistunt ei (1). » Nostra templa non ad animalium sacrificia offerenda, sed ad incruentum corporis et sanguinis Christi sacrificium mundum et unicum in universo orbe destinantur.

72. Sacerdotum igitur nostrorum munus gravissimum est, majori ferme diligentia, ut par est, ac sacerdotes veteris fœderis, templorum nostrorum decoris, nitoreque curam habere. Non sane ipsis impositum est, ut pretiosissimis quibusque (quæ temporum injuria et Christi fidelium tepiditate haberi sæpe non possunt) templa sibi commissa ornent et decorent; sed ut quæ ad eorum ornatum et splendorem conferre possunt diligenter provideant. Hortentur sæpe populum ut intelligat quanti domus Dei sit facienda, et quantum in ejus emolumentum etiam cedat, ut Dei templum majori quo fieri possit splendore ornentur. Si enim Christus centum se daturum promisit iis qui unum pauperibus dant, quos ipse diligit, suorumque fratrum in numero habet; quid daturus eis est qui sibi ipsi generose suas divitias largiuntur? Quid non Magdalena retribuit, quæ prætioso unguento ejus ca-

(1) Dan. vii, 10.

pillos unxit, pretiosaque ad ejus sepulcrum aromata attulit?

73. Ceterum non negligant sacerdotes curare ut Ecclesiae festa maximo quo potest exteriori etiam splendore agantur: exterior enim apparatus aptissimus ad animos ad superna erigendos videtur, magis fidem excitat quam exhortationes quæque ac sermones, loquitur enim quasi sensibus hominum exterioribus, sensusque interiores efficaciter movet. Studiose provideant ut statuæ et sanctorum imagines, parietes, pavementum et templi altaria nitida custodiantur et munda: sed maxime omnium vasorum sacerorum, lintheaminum, ornamentorum, omnisque suppellectilis quæ ad altaris sacrificium inservit, mundities diligentissime servetur.

Suo igitur exemplo, hacque cura et diligentia, presbyter populum docebit, quo quidem honore, quaque reverentia Dei domum prosequi oporteat: quam enim reverentiam incutere animis potest templum, cujus omnia sua deque versa, immunda omnia et incuria obsoleta, pulvere fœdata conspiciuntur? quem honorem sibi dies festi conciliabunt, quos negligi a Pastore et fere nullo in numero haberi populus noverit?